Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26898
Copyright: Admont, Benediktinerstift

capacitatis sue quantum oportet accipiat. quantum inferiores vite per
gradus incrementorum suorum ad imaginem summe vite proficiant. Primus
enim gradus corporee vite sensificatio. secundus per sensum ingrediens
imaginatio. tercius per imaginem conceptorum memoria. quartus secundum
passibilem applicationem sensus quedam sine intelligentie discretione
prudentia. in qua quidem quasi racionis imago est. sed racio nulla est. Secundum
hanc et bruta quedam animalia aliis sui generis callidiora videntur.
et quedam quasi sensus facultate racionalis mentis prudentiam imi
tantia. Quod tamen magis sensus passio. quam intelligentie operatio
esse probatur. In his autem omnibus vita corporea vitam spiritualem imitatur.
Primum videt in eo quod sentit. secundo in eo quod sensum concipit. tercio in eo
quod concepta retinet. quarto quod sive imaginatis sive insen
sibus per sensus passionem secundum quandam racionis similitudinem vel
ad appetendum vel ad fugiendum se inflectit. In his itaque omnibus
vite corporee spiritualium vitarum imaginem tenent. et per medias
eas summam vitam quantum possunt emulantur. Nam et ipse spirituales
vite omnes a summa vita accipiunt quod vite sunt participantes.
inde descendentem spiritualem calorem et humorem quo nutriantur et vivi
ficentur ut vivant. Quo ista spiritualiter concepta. spiritualem vitam perfici
unt. Spiritualis calor sensificans per desiderium. spiritualis humor nutri
ens per gaudium. et non constat ulla vita que calorem et humorem suum
non habet nutrientem et sensificantem. ut in eo quod vita est subsistere
possit. Et quo magis hec habet. tanto magis vita nominatur.
ut multe sint vite. sicut participationes sunt multe. et omnis
participatio ab uno. et omnis vita ab uno. Sic itaque summum
bonum in omnia se diffundens omnem vitam constituit. et ad
summam vitam omnem vitam formando reducit. Sequitur
Et hoc eo amplius declarasi dicet. Non solum hoc quod lucem corpo